

nitioem suam protinus subinfertur: et tu sume tibi sartaginem ferream, et pones eam murum ferreum inter te et inter civitatem. Cujus enim Ezechiel Propheta nisi magistrorum speciem tenet? Cui dicitur: sume tibi laterem, et pones eum coram te et describes in eo civitatem Ierusalem.

Sancti quippe doctores sibi laterem sumunt, quando terrenum auditorum cor, ut doceant, apprehendunt. Quem scilicet laterem coram se ponunt; quia tota illud mentis intentione custodiunt. In quo et civitatem Ierusalem jubentur describere; quia praedicando terrenis cordibus curant sumopere quae sit supernae pacis visio demonstrare. Sed quia incassum gloria patriae coelestis agnoscitur, nisi et quanta hic irruant hostis callidi tentamenta noscantur, apte subjungitur: et ordinabis adversus eam obsidionem, et aedificabis munitiones. Sancti quippe praedicatores obsidionem circa laterem, in quo Ierusalem civitas descripta est, ordinant, quando terrenae menti, sed jam supernam patriam requirenti, quanta eam in hujus vitae tempore vitiorum impugnet advesitas demonstrant. Nam cum unumquodque peccatum quomodo proficientibus insidietur ostenditur, quasi obsidio circa civitatem Ierusalem voce praedicatoris ordinatur. Sed quia non solum debent innotescere qualiter vitia impugnet, verum etiam quomodo custoditae nos virtutes robovent, recte subjungitur: et aedificabis munitiones. Munitiones quippe sanctus praedicator aedificat, quando quae virtutes quibus resistant vitiis demonstrat. Et quia crescente virtute, plerumque bella tentationis augentur, recte adhuc additur: et comportabis aggerem, et dabis contra eam castra, et pones arietes in gyro. Aggerem namque comportat, quando praedicator quisque molem crescentis tentationis enuntiat. Et contra Jerusalem castra erigit, quando rectae intentioni audientium hostis callidi circumspectas et quasi incomprehensibiles insidias praedicit. Atque arietes in gyro ponit, cum